DE SARCOMATE SCROTI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE IMPETRANDIS
DIE X. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

CAROL. FRID. BECKHAUS
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:
L. WEBER, MED. ET CHIR. DR.
G. LOHOFF, MED. ET CHIR. DD.
W. DEUTECOM, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI.
TYPIS FRATRUM UNGER.

AMICO

DILECTISSIMO ATQUE CARISSIMO

J. C. L. W. PROEBSTING,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFAMEN.

Quum veterum more atque legis auctoritate mihi quoque dissertatio inauguralis scribenda esset, dubius in eligenda materia diu valdeque haesitavi. Multi profecto laboris ac difficultatis tironi est res, de medicina scribere, quippe qui deficiente experientia novum aliquid idemque dignum scriptu fere nunquam afferre possit. Quae ergo hac in dissertatione memorata invenitis, ex libris virorum doctissimorum solummodo composita atque inter se collata sunt. Quatenus laborem exegi, haud dijudicarem; persuasum mihi autem habeo, summum viris

doctis esse non rem oblatam, sed mentem, qua oblata est. Lecturi hasce studiorum primitias benevole atque indulgenter excipiatis velim. —

§. 1.
NOMEN ATQUE DEFINITIO.

Sarcoma scroti, ut ab aliis testiculi ipsius ejusque tunicarum morbis distinguatur, illum nominamus morbum scroti peculiarem, in Asia atque Africa frequentius, rarissime in Europa observatum, qui liquorum serosorum, lymphaticorum et albuminosorum in tunicam scroti cellulosam infiltratione provocatur, Elephantiasis nonnunquam symptoma est; tamen et sine istius suspicione occurrit ac plerumque sine testiculi ipsius labe exstat. Pergrandem, inaequalem, haud dolorificum, mirum in modum lente sed continuo crescentem conformat tumorem, qui penis, montis veneris, inguinum abdominisque inferioris ipsius cutem detrahit, ideoque penem erigendi, lotiumque rite mittendi potestatem cohibet atque ab inguinum regione ad malleolos usque interdum dependet. Aegrotum, nisi mole sua memoratisque molestiis, non vexat, ad degenerationem cancrosam haud pronus, antiquissimis ab auctoribus haud distincte depictus, novissimis autem temporibus, praecipue ab egregio illo Gallorum chirurgo Larrey accurratius observatus ac descriptus est.

§. 2.

Veterum enim morem, quippe qui omnes fere scroti tumores, exceptis solummodo, qui serosorum aut sanguinolentorum liquorum collectione testiculi inter tunicas aut vasorum funiculi spermatici expansione conformantur, Sarcoceles nomine insigniverunt, probare haud possumus, quia hoc modo multi ac diversi generis morbi eodem sub nomine interpellantur. Relinquamus ergo hocce nomen vero testiculi ipsius sarcomati, morbo alias consideratione digno, attamen nostrum ad thema non respicienti, praecipue ab egregio a Walther [1]) nostris temporibus delineato. Larrey [2]) quidem solum nostrum ad morbum nomen Sarcocele referre posse ex eo autumat, quod antiquiores auctores sub nomine Sarcoceles Sarcoma scroti, ut veram ad testes adnatam carnem [3]), intellexerant. Attamen antiquiores non solum carnem ad testem adnatam Sarcocelen nominasse, sed omnes testiculi degenerationes ex neglecta horum morborum strenua indagatione anatomica sub hoc nomine mirifice confudisse, dubium haud amplius esse potest.

---

[1]) Ph. Fr. a Walther: Neue Heilart des Kropfs etc. Sulzbach 1817, pag. 40. et v. Graefe's und v. Walther's Journal für Chirurgie und Augenheilkunde. Vol. 5.

[2]) cf. Larrey's medicinisch-chirurgische Denkwürdigkeiten aus seinen Feldzügen. Leipzig 1813, Bd. I. pag. 190.

[3]) cf. de hac disquisitione tractatus Sprengelii in: Geschichte der Chirurgie. Vol. 5. de castratione.

§. 3.

SYMPTOMATA AC DECURSUS.

Praegressis plerumque nullis aut perpaucis tantum aegroti molestiis, aut incerto denique pressionis in scroto sensu, vasa scroti cutanea primum expanduntur, intumescit ejus tela cellulosa per liquores intus collectos, ipsaque scroti cutis extenditur, quo fit ut totum ejus parenchyma placentae instar commutetur. Testiculus nunc diligenter examinatus formam, magnitudinem, mollitiem a norma haud decedentes ostendit, nullamque in posterum quoque subit mutationem, nisi atrophiam quandam [1]), continuo tumoris scrotalis pressu nonnunquam adductam, excipias. Uno in casu tantum volumen superavit normale [2]), plerumque vero incolumis in posteriore ac superiore tumoris regione tangitur. Tumor enim succorum intus haerentium pondere praesertim ad inferius crescit, talique modo primum scroti et funiculi spermatici involucrum cutaneum, tunc penis, montis veneris, inguinum, totiusque demum abdominis cutem detrahit, ita ut umbilicus quoque mirum in modum infra locum naturalem descendat pubisque regione appropinquetur. Praeputium ex eo supra glandem protrahitur, ejusque orificium fere clausum, umbilico simile, in anteriorem ac mediam

---

[1]) cf. Boyer, traité des maladies chirurgicales etc. Paris 1825, Tom X. pag. 309.

[2]) cf. Act. erud. m. Novemb. a. 1725, Lips.

tumoris partem protractum, angustam solummodo urinae submittit aperturam, ex qua non uno impetu atque plenum conformans radium, sed stillans tantum, non sine aegroti in continuum conspurcati molestiis, propelli potest. Externa tumoris superficies rugosa, crustis squamulisque subflavis hinc inde obtecta, quibus delapsis cutis ulceribus parvis impetiginosis, continuo ichorem tenacem, mox iterum in crustas subfuscas coeuntem, secernentibus corroditur. Tumor ipse sensu fere carens, altera ex parte mollem, altera duriorem et cartilaginosam quasi digitis admotis praebens texturam, dolores quidem aegroto adfert paene nullos, lente tamen sed continuo increscit, talique modo in tantam mox magnitudinem ponderosam intumescit, ut aegrotus ob molem horrendam, inter crura dependentem. non amplius pedibus incedere queat. Omnes alios scroti tumores, per liquores inter ejus tunicas aut per testiculorum degenerationes effectos, morbus hicce molestus magnitudine longe superat, ita ut secundum nonnullas observationes per cultrum chirurgi exsecti aut post aegrotantis mortem cum statera examinati tumoris moles quinquaginta aut centum usque ad ducentarum librarum pondus ostenderet aut superaret adhuc. Sic tumor, quem Walther observavit, 40 librarum pondus habebat, quem Cheselden 60, quem Chopart 80, quos Larrey a 50 ad 100 usque librarum; tumor aegroti, in ephemerid. nat. curios. memorati, fere 200 librarum

pondus habebat. Funiculus spermaticus, ut ex multis, quas Larrey [1]) nobis tradidit, observationibus elucet, per totum morbi decursum integer invenitur, ejusque vasa leviter tantum, ut in varicocele ac spermatocele, expanduntur. —

§. 4.

DIAGNOSIS.

Nonnulli quum exstent testiculorum morbi, qui et scrotum tumefactum reddunt, ne eorum quispiam falso pro sarcomate scroti habeatur, monendum est. Inter quos praecipue referendi sunt: sarcocele, scirrhus, fungus atque hydrocele testis.

Sarcocele testis ipsius, quod attinet ad naturam sarcomati scroti simillima, degeneratio ejus quasi hypertrophica est, nec unquam in scirrhum transit. Tumorem quidem scroti etiam provocat, qui nunquam tamen tantum adipiscitur ambitum, quem in sarcomate scroti, nec undique aequabiliter expanditur, quum in uno alterove testis latere semper oriatur.

In scirrho testis tumor parvus adest sub doloribus lancinantibus secundum decursum funiculi spermatici, qui tanquam filus durus atque nodosus tangitur. Quae adsunt ulcera signum scirrhosum praebent atque glandulae inguinales tumefactae sunt.

Fungus testis sub doloribus vehementissimis

---

[1]) cf. l. c. pag 191.

celeriter format tumorem parvum, ex quo, in abscessum transito eoque aperto, excrescentiae fungosae enascuntur. Sicuti in Sarcocele atque scirrho tumor scroti hic quoque undique haud aequabiliter conformatus est.

In hydrocele tunicae vaginalis testis semper fere fluctuatio tumoris sentiri potest; crescit tumor a fundo scroti ad annulum abdominalem atque superficiem elasticam ac tensam obtinet, quae in sarcomate scroti altera ex parte mollis, altera durior et quasi cartilaginosa apparet.

Oedema scroti cum ejus sarcomate minus commode confundi potest; tumorem enim format undique mollem, qui digitis admotis impressiones aliquamdiu adhuc retinet.

Degeneratio illa scroti peculiaris cancrosa, quam Pott [1]) descripsit sub nomine cancri purgatorum caminorum, cum ejus sarcomate haud confundenda est. Scrotum in illa non tumescit et quae adsunt ulcera superficialia signum cancrosum distincte prae se ferunt; praeterea est morbus in Anglia frequentior ejusque caussa fuligo scroti rugis adhaerens.

§. 5.

AETIOLOGIA.

Sarcoma scroti plerumque est morbus terris

---

[1]) Pott's chirurgical Works by Earle. London 1808. Vol. III. pag. 178—182.

calidioribus proprius, ac plerique in Europa hoc morbo laborantes aliam regionem, largioribus solis radiis expositam, patriam agnoverunt, praecipue Asiam et Africam. Rarissime Europae incolae afficiuntur, ex quo eorum, qui hunc morbum Elephantiasis symptoma aut exitum declaraverunt, opinio quam maxime confirmari videtur. Et dubium non est, peculiarem hunc morbum leprae nodosae, tuberculosae, Elephantiasis Graecorum, symptomatibus nonnunquam concomitari. Sic plurimorum, quos Larrey apud Aegyptos observare data fuit occasio, aegrotantium cutis et in aliis corporis partibus ulceribus impetiginosis, tumoribusque in Elephantiasi occurrentibus simul fuit obsessa. Pet. Frank quoque in egregio de lepra tractatu [1]) interdum localis hic tumor nunc manus, nunc brachium, nunc aures vel nucham, nunc dorsum vel lumbos, nunc ipsa pudenda occupasse est visus. Simile etiam Sprengel in adnotationibus, quas ad Batemanni [2]) de morbis cutaneis tractatum scripsit, asserat, dum dicit, Elephantiasin scroti interdum felicem ac criticum quasi Elephantiasis universalis fuisse exitum. Ex quibus concludere liceat, morbum nostrum cum Elephantiasi duplicem quasi connexum inire. Altera enim vice localis est Elephantiasis sedes atque

---

[1]) cf. Joh. Pet. Frank. epit. Tom. IV. de lepra.

[2]) cf. Batemann, praktische Darstellung der Hautkrankheiten, Halle 1815. pag. 443.

symptoma, altera ex Elephantiasi, jam per totam corporis superficiem extensa, faustaque aegrotantis fortuna in scrotum deposita et concentrata, originem agnoscit. Quae autem si concedamus, ex observationibus nonnullorum, in quibus nec leprae tuberculosae prodromi morbum scroti praeiverunt, nec symptomata gravis hujus morbi una cum scrotï tumore apparuerunt, edocti haud abnegare possumus, morbum nostrum rarissime quidem, sed interdum sine Elephantiasis suspicione ut morbum mere localem exstare. —

§. 6.

Morbus quum plerumque sensim sensimque appareat, ejus caussae omnino fere jam latent. Quod attinet ad caussas externas scroti ictus vel concussiones maximi momenti ad tumorem provocandum esse videntur, nonnulla quum exstant exempla, in quibus tumor a scroti ictibus, multos ante annos perpessis, originem duxerat. Praecipue tamen qui vitam agunt sedetariam operarii, ut textores, sartores, phrygiones aliique, huic malo succumbunt. Braccae quoque apud Aegyptos usitatae, in quibus scrotum libere dependet, secundum Larrey[1]) originem et progressum morbi adjuvare videntur. Quibus adhuc adnumeranda sunt ratio vitae irregularis, libidinum intemperantia, balneorum calidorum atque nutrimentorum abusus, commoratio in terris humi-

---

[1]) c. f. l. c. pag. 192.

dis palustribusque ac climatis conditio. Ad caussas internas diversa succorum lymphaticorum et serosorum vitia referri possunt, praesertim tamen syphilis, ex qua in Aegyptia persaepe pustulae scroti parvae pruritum provocantes, symptomatice oriuntur.

Quoties morbus hicce observatus sit, semper tamen in sexu virili invenitur, eique morbus esse proprius videtur. Nullus hucusque scriptor, excepto Larrey,[1]) in partibus muliebrum genitalibus similem observavit tumorem; forsitan uteri atque vaginae secretiones periodicae illius originem praecaveni.

§. 7.

PROGNOSIS.

Prognosis mali si quoque haud pessima stabilienda erit, ac morbus per se lethalis non est, tumorisque ulcera secundum Boyer[2]) in degenerationem cancrosam nunquam transeunt, nec unquam tumore exstirpato recidivus morbi timendus, aegrotum tamen valde vexat, praesertim ex tumoris magnitudine atque pondere, quae eum ambulare omnino fere impediunt. Remedia et interna et externa morbi progressum inhibere haud valent, nec ullus his applicatis tumorem evanescentem vidit. Optimum igitur unicumque remedium, malo jam aliquem gradum adepto, tumoris est exstirpatio,

---

[1]) c. f. l. c. pag. 201.
[2]) c. f. l. c. pag. 309.

operatio quidem difficilis, omni autem tempore radicalis.

§. 14.

C U R A.

Omnes qui hoc de morbo scripserunt chirurgi, remediorum et interne et externe adhibitorum successu parvo fulti, sarcoma scroti morbum esse insanabilem contenderunt. Sunt quidem qui tumoris exstirpationem commendaverunt, quam eorum nullus tamen perfecit aut timore aut occasione haud data impeditus. Qui primus tumorem exstirpare ausus est, fuit Imbert de Lonnes [1]); sed magis audacia atque prudentia, quibuscum operationem perfecit, gloriatur, quam ut tumoris naturam atque operationis methodum describeret. Novissimis autem temporibus egregius Larrey [2]) morbi curationis atque operationis methodum distinctius descripsit, et quam maxime efficacem invenit, hic perlustremus.

Morbo ex brevi tempore enato neque tumore magnum adepto ambitum, remedia resolventia et interne et externe sunt adhibenda, quorum optima antimonialia cum mercurialibus atque remediis sudoriferis dosi adapta per satis longum temporis spatium porrecta, invicem cum acidis mineralibus parva dosi potioni mucilaginosae admixtis. Maxime tamen prodest lotio ex acido sulphurico, in vehiculo

---

[1]) cf. Considerations sur le cautère actuel, pag. 360.
[2]) cf. l. c. pag. 196.

quodam convenienti soluto, dosi plus minusve magna, vel ex hydrargyro muriat. corros., aere viridi aut sale ammon. parata, atque augetur horum remediorum vis medicatrix[1], si eodem tempore tumor fascia pro compressione involvitur. Quibus remediis valentibus, tumorem imminui, cutem laxiorem coloremque faciei meliorem fieri videmus, atque cum iis continuandum est, usque dum tumor plane evanuerit. Incisiones atque caustica ex parvo medicorum plurimorum successu inutilia censet, atque degenerationem cancrosam haec secuturam, si illis adhibitis remedia adstringentia applicarentur, veresimile esse dicit. Quae cum remedia per satis longum temporis spatium ullo absque successu in usum vocarentur, tumorque eodem semper perseveraret statu, operationem instituendam esse contendit.

Operatio hoc modo sit instituenda: incisiones duae obliquae, prope ad praeputii aperturam incipientes, ad inferius divergant atque sub testiculis in quoque latere tumoris sese invicem tangant; quibus peractis partes inter corpora cavernosa penis atque testiculos eadem directione dissecentur atque auferantur. Quae partes degeneratae in penis vel testiculorum ambitu jam inhaereant, etiam incidendae omninoque auferendae sunt.

Corpora cavernosa penis atque testiculi nudati cum integumentis sanis relictis obtegantur, quae appropinquata emplastro adhaesivo fasciaque convenienti continua retineantur. Operatione bene

instituta, tumor brevi tempore evanescit, margines vulneris concrescunt atque cicatrice sese obducunt. Remedia praeterea interne porrecta operationis successum adjuvare necesse est.

Praecavendum est inter operationem, ne testiculi, funiculi spermatici atque corpora cavernosa penis laedantur. Arteriae tumoris ex arteria pudenda interna et externa procedunt; haemorrhagia ex iis haud periculosa per ligaturam inter operationem mox sistenda erit.

Operatio quidem diuturna atque difficilis sed haud dolorifica est. Recidivus nunquam apparet, quanquam cum Elephantiasi conjunctus sit tumor; tamen remedia huic indicata per aliquot temporis spatium continuanda sunt. —

§. 9.

Chopart [1]) quoque sarcoma scroti permagnum, quocum una materiae lymphaticae atque sanguinolentae collectio in sacculo harum partium membranaceo aderat, omnino ad sanitatem perduxit. Attamen tumoris exstirpationem rejicit, ejusque cauterisationem cum caustico omnibus remediis praeferendam esse censet, si tumoris ambitus nondum permagnus sit. Applicandum esse docet causticum sat largo ambitu, ita ut apertura provocetur, quae liquorem exire partiumque internarum degenerationem amoveri sinat.

---

[1]) cf. Boyer l. c. pag. 310.

§. 10.

Boyer [1]) initio morbi purgantia commendat drastica, ad aegrotantis virium statum repetita, vel tumoris fumigationes cum aceto ammoniato vel alia remedia resolventia topice adhibita. Tumore autem jam magnum ambitum adepto, remedia chirurgica in usum vocanda esse dicit. Licet successus, quem Chopart ex causticorum applicatione vidit, optimus sit, tamen tumoris exstirpationem vel amputationem cauterisationi praeferendam esse contendit; operationem institui posse, cujuscunque sit ambitus tumor, si aegrotus in aetate haud nimis provectus bona gaudet valetudine.

§. 11.

Duas sarcoma scroti curandi methodos respicientes, scilicet exstirpationem atque cauterisationem, primam posteriori praeferendam esse, haud abnegare possumus. Cauterisatio secundum Chopart operatio non solum diuturna sed etiam dolorifica; exstirpatio contra, quam Larrey atque Boyer docent, neque dolorifica neque periculosa semperque radicalis est. Quum in sarcomate scroti laborantibus, num testiculus incolumis sit nec ne, non semper certe definire possumus, exstirpatio et illam adfert utilitatem, ut testiculum, simulac eodem tempore laborantem invenimus, statim auferre possi

---

[1]) cf. l. c. p. 310.

mus. Remedia interna, si morbus mere localis est affectio, haud multum valent, nisi quae vires aegroti debilitatas excitent. Remedia resolventia externa in initio morbi fortasse ejus progressum inhiberent; tumore autem sensim sensimque crescente, cum sponte evanescere aegroti sperant, atque tum demum medicum adeunt, si morbus jam adultus, tumoris ambitus permagnus, unicumque ergo remedium ejus est exstirpatio.

§. 12.

Sarcomatis scroti a chirurgis hucusque rarissime observati sectiones praesto sunt perpaucae; observationes autem hujus morbi, quae adsunt praecipuae, in iisque dissectionem invenimus institutam, afferamus.

Dionis primus tumorem hoc modo descripsit: tumor inaequalis et quasi lapidea ped. 3, pollic, 3 atque lin. 6 longitudinem, et ped. 1, poll. 3 latitudinem in parte inferiore habebat; ambitus ped. 3, poll. 6 et lin. 7 erat; pondus fere 63 libr. habebat.

Quem tumorem Walther [1]) vidit atque dissecavit usque ad genua descendebat; cutis scroti triplo crassior, cellulae autem sub illa adnatae interque testiculos pergentes adeo distentae erant a tenaci humore, ut molem inertis carnis repraesentarent,

[1]) cf. Act. erudit. m. Novbr. a. 1725. Lips.

cui pondus tumoris totius, librarum videlicet ferme quadraginta, potissimum deberi videbatur. Erant quidem testiculi naturalibus multo majores, quippe crassiore albuginea tunica humorem et tophos comprehendente, ut vix pars exigua eaque in altero duntaxat latere tubulis tenuissimis relinqueretur, qui propriam testis substantiam faciunt. Sed haec quantulam demum universi tumoris partem efficerent, satis intelligas.

Chopart[1]) vidit tumorem hominis robusti, 50 annorum, in Guinea nati, forma piri, inter femora usque ad malleolos dependentem, cujus ambitus in superiore parte ped. 2 et poll. 2; in media parte ped. 3 et poll. 2, atque in inferiori parte ped. 4 erat; longitudinem ped. $2\frac{1}{2}$ atque pondus 80 libr. habebat. In parte ejus superiore tertia atque media in superficie anteriori massae aderat rima, in cujus recessu glans. Urina, si aegrotus stabat, uno impetu propelli poterat, plerumque autem destillabat. Aegroto febre maligna mortuo, sectionem tumoris instituit, duasque in eo distinxit substantias; exteriorem albidam, compactam, vaccae uberi similem conformatamque ex tela fibrosa, humore tenaci impleta; interiorem mollem, subflavam, cujus tela formabat cellulas, infiltratas humore seroso, qui illis persecatis statim effluxit. Cutis substantiam externam tegens eamque adnata in regione pubis tenuis,

---

[1]) cf. Boyer l. c. pag. 303.

in inferiore autem tumoris parte callo lardi similis tamque dura erat, sicuti etiam substantia subjecta, ut difficulter persecari posset. Penis ambitu ac longitudine auctus sub tumore plane occultus; funiculus spermaticus ab annullo abdominali usque ad testiculum poll. 9. longus atque naturali triplo crassior erat, ob serum in ejus tela cellulosa collectum; vasa ejus haud erant laesa. Abdominis viscera vasaque spermatica sana situm obtinebant naturalem. Quibus repertis tumor a corpore dissecatus, 62 libr. pondus habebat ob multum inter sectionem serum effluxum. Massa tumoris conformata erat ex succis albuminosis gelatinosisque pinguedine nulla admixta.

Raymondon [1]) tumorem hominis 42 annos nati infelici tamen successu exstirpavit. Tumor poll. 23 longitudinem et poll. 32 ambitum habebat atque ex tredecim annis sese conformaverat, neque alias nisi ob pondus magnum effecit molestias. Raymondon tumorem existimans liquida continere, punctionem instituit profundam, sed nil liquoris efluxit; repetiit punctionem sed eodum cum eventu. Postero die quum tumoris amputationem instituerit atque testiculum sinistrum degeneratum abstulerit, aegrotus sex horas post operationem, dolores solummodo in regione epigastrica accusans, mortuus est. Sectione instituta abdominis pectorisque vis-

---

[1]) cf. Boyer l. c. pag. 305.

cera sana invenit; tumor 29 libr. pondus habebat atque massam solidam, crassam, albidam adipique similem offerebat. Medio in tumore duodecim observavit sacculos membranaceos, quorum alii humorem serosum, alii sanguinem dissolutum retinebant.

Roux[1]) hancce tumoris historiam nobis tradidit: rusticus quinquaginta fere annorum ex decem mensibus tumore scroti laborabat, qui ex contusione levi scroti originem duxerat. Tumor latus obtinebat sinistrum ejusque ambitus capiti hominis adulti aequabat; in superficie externa eminentiae quaedam ex sanguine accumulato conformatae proximeque sub cute jacentes passim aderant; cutis ipsa tensa, tenuis, livida cum tumore intime crescendo implicita erat, maxime tamen in parte ejus anteriore atque ad latera. Penis omnino occulti praeputium solummodo conspiciebatur. Testiculus dexter tumoris lateri correspondenti adhaerebat, utque videbatur prorsus intactus erat. In latere affecto funiculi spermatici pars, quae sub annulo abdominali tangebatur, incolumis exstabat, neque glandulae abdominales obstructae erant. Aegrotus dolores solummodo hebetes tumoris accusans, bona alioquin gaudebat valetudine. Exstirpatione tumoris felicissimo cum successu peracta, Roux testiculum medio in tumore intactum, tunicae vaginali parum solum-

---

[1]) cf. Mélanges de Chir. et de Physiol. pag. 225.

modo adhaerentem et partem funiculi spermatici dissectam omnino sanam invenit. Tumoris massa ex degeneratione telae cellulosae scroti nitebatur atque duabus ex substantiis, quod attinet ad adspectum plane diversis, constabat. Pars major atque exterior mollis ac granulosa erat, mediumque ut videbatur tenebat inter adipem condensatam atque pulpam cerebralem; prope ad tumoris superficiem tres vel quatuor parvae sanguinis plenae erant lacunae; pars altera quasi lapidea, magis solida densaque, adspectum carcinomatosum prae se tulit. Reliqua tumoris substantia nullam mutationem purulentam indicavit.

Plurimas quidem hujus morbi observationes nobis retulit Larrey,[1]) tumoris autem exstirpationem semel tantum instituit. Quum multorum, quos in Aegyptia vidit, tumorum descriptiones cum jam memoratis congruant, omnibusque eandem esse conditionem putet, hanc solam afferamus. Coquus quidam ob tumorem scroti ex nonnullis annis ortum forma pyramidali atque 6 libr. fere pondere cum consuluit. Testiculus dexter incolumis in superiore tumoris parte tangebatur; penis omnino fere evanuit; testiculus sinister cum massa tumorem formante conjunctus inveniri non poterat. Aegroto dolorem tumoris nullum capiente, testiculus ejus particeps sit, Larrey dubitavit. Tumorem ipsum

---

[1]) cf. l.,c. pag. 198.

ex substantia callosa passim cartilaginosa conformatum, medioque in tumore testiculum naturali minorem invenit.

§. 13.

Nullum hucusque scriptorem, excepto Larrey, similem in partibus muliebrum genitalibus observasse tumorem, jam supra in paragr. quinto retulimus: quae quum autem observatio singularis memoratu digna exstet, addamus: Uxor rustici Cairensis, triginta fere annos nata, nonnullis ex annis tumoribus duobus permagnis laborabat; in parte antica sese tangentes, in postica autem divergentes, vaginae marginem obtinebant. In labiis pudendis majoribus originem duxisse videbantur, quod ea sicuti labia minora non adessent. Tumoris cujusque magnitudo fere eadem, capiti infantis aequabat, ejusque superficies externa rugosa introrsus laevis atque violacea subrubebat. Obtecta erat basis crustis pustulosis, sub iisque materia foetida atque ichorosa exprimi poterat. Tenuissimis cum radicibus tumores ossibus pubis et ischii adhaerentes duri, torpidi, quasi scirrhosi exstabant. Ambitus cujusque tumoris fere poll. 13, latitudo poll, $4\frac{1}{2}$ atque longitudo poll. 7 erant, Pedes mulieris ceteroquin non firma gaudentis valetudine, nullam Elephantiasis praebuerunt suspicionem; labia crassa atque livida; gingiva pallida tumidaque; facies colore lurido atque oculi splendore deleti; appetitus quidem depravatus, digestio autem ciborum bona.

Originem morbi Larrey caussis Elephantiasin provocantibus contineri existimabat. Menses huic mulieri nunquam apparuisse memoratu dignum est. Tumoris quidem exstirpationem proposuit, ob temporis autem angustias non perfecit. Quum remedia in Elephantiasi probata adhibita essent, labia ad statum naturalem rediebant, tumores partium genitalium emollescebant, ulcera ichorem minus foetidum secernebant atque forma totius corporis pleniore mulier jam gaudebat.

CURRICULUM VITAE.

Natus sum ego Carolus Fridericus Beckhaus mens. Aug. a. MDCCCVI. Wetter, pago Guestphaliae, ad Ruhram sito, patre Theodor. Leopold. Beckhaus, ecclesiae evangelicae conciniatore, matre e gente Engels, quos duro mihi fato jam dudum abreptos graviter lugeo. Primis litterarum rudimentis imbutus sum Rhedae, Guestph. oppido, partim in schola rectorali partim privata. Postea in gymnasium, quod Hammonae floret directore cel. Kapp, me contuli, ubi per tres annos studiis, quae tractari solent, operam dedi, atque examine, quod in universitatem abituris subeundum est, superato, almam universitatem Rhenanam petii. Ibi m. April. a. MDCCCXXV a rectore magnifico Aug. Guil. a Schlegel numero civium academicorum atque a Cel. Harless. t. t. decano, facultati medicae adscriptus sum.

Hosce per annos philosophicarum medicarumque doctrinarum professores summe colendi mihi tradiderunt: logicam Cel. van Calker; psychologiam Cel, Windischmann; anthropologiam Cel.

Nasse; physicen Cel. G. Bischoff; botanicen univers. Cel. Nees ab Esenbeck sen., pharmaceut. Cel Nees ab Esenbeck jun; Zoologiam Cel. Goldfufs; mineralogiam Cel. Noeggerath; encyclopediam et methodologiam artis medicae, anatomiam comparatam atque physiologiam generationis et foetus Cel. Müller; osteologiam et syndesmologiam Cel. Weber; anatomiam specialem Cel. Mayer; pathologiam et therapiam general. et diaeteticen Cel. Harless; physioligiam homin. et comparat., semioticen, therapiam general. et special, atque morbos psychicos Cel. Nasse; artem obstetriciam Cel. Hayn; doctrinam de instrumentis obstetriciis Cel. Kilian; materiam medicam, artem formulas conscribendi, medicinam forensem atque epizootias Cel. E. Bischof; pathologiam et therapiam chirurg., de fasciis machinisque, de ossium fracturis luxationibusque atque ophthalmiatricen Cel. a Walther.

In arte cadavera dissecandi duces mihi fuerunt Cel. Mayer et Weber; in exercitationibus obstetriciis clinicis per annum moderator mihi fuit Cel. Kilian; clinicum et policlinicum medicum per duos annos adii, directore Cel. Nasse; clinicum et policlin. chirurg. et ophthalmiatricum Cel. a Walther per annum frequentavi.

Quibus viris omnibus, summe de me meritis, maximas habeo semperque habebo gratias.

Auctumno praeterlapso in almam hanc litte-

rarum universitatem Berolinensem profectus a rectore magnifico Hegel et decano spectab. Wagner inter medicinae studiosos receptus sum.

Jam tentaminibus, tum philosophico tum medicis, nec non examine rigoroso, rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Asthma Millari atque angina membranacea non idem est morbus.

II.

Medicus venenis non utitur.

III.

Perforatio vivi quoque infantis interdum est indicata.

IV.

Extractio cataractae ceteris operationis methodis praeferenda est.

V.

Gangraena amputationem non indicat